



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

De Helcesaitarum haeresi. Cap. XXXI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

*De Arabum disidio. CAP. XXX.*

**P**Er idem tempus, quidam rursus in Arabia dogmatis cuiusdam à veritate profus alieni auctores nascuntur: afferentes hominum animos vnà cum corporibus vno eodemque temporis articulo morte occumbere, & penitus extinguat demum tempore resurrectionis vniuersæ carnis cum eisdem vitam denuo recuperaturos. Non exiguo igitur episcoporum conuentu ea de re coacto, Origenes ibi etiam rogatus, vt partes de illa controuersia disputandi susciperet, sic orationis vi & impetu ferebatur, & eorum mentes, qui se antè eo errore implicauissent, ad rectam fidem & sanam doctrinam traduceret.

*De Hellesaitarum hæresi. CAP. XXXI.*

**E**odem tempore alia erroris peruersitas, quæ Hellesaitarum hæresis dicebatur, cœpta est: quæ propè simulacra orta erat, extinguebatur. Cuius mentionem facit Origenes in concione in Psalmum octogesimum habita: quam coram ecclesia palam recitauit. Interuenit, inquit, quidam hoc præsentis tempore insolenter propterea se efferens, quod impiam & maximè sceleratam Hellesaitarum opinionem, quæ nuper contra ecclesiam excitata est, se posse defendere existimet. Quæ tandem scelerata, & quàm nefaria, illa opinio profiteatur, vobis exponam, ne eius inanitate & quasi leni vento à veritate abripiamini. Nonnulla vniuersæ scripturæ antiquat testimonia: aliis rursus cum ex toto veteri testamento, tum ex Euangelio depromptis vtitur. Paulum autem Apostolum omnino reiicit. Fidem item negare, indifferens quidam esse asserit. Qui enim, interiore cogitatione recte de fide sentiat, tamen ore, cum necessitas illum eò detruferit, fidem perneget, eum tamen animo firme illi adhæsurum. Librum etiam circumferunt, quem aiunt è celo delapsum: & qui illū audiuerit, eiusque doctrinæ crediderit, peccatorum remissionem consecuturum, eamque diuersam esse remissionem ab illa, qua Christus Iesus remisit peccata. Sed de his satis multa.

*De persecutione quæ sub Decio erat, & quanta Origenes pertulerit. CAP. XXXII.*

R 5

Philippo